



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 189. Et dimitte nobis Barabbam. v. 18.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

Levitici de duobus hircis, super quos sacerdos mittebat sortem, qui eorum immolandus esset; & quis in caprum emissarium esset dimittendus. Christus Dominus, tamen si agnus ob innocentiam suam; propter iniquitates tamen nostras, quas in se expiandas suscepit, hircus fœrens videbatur Barabbam autem revera fœtidum hircum esse; nemo ambigit, excepto populo Iudaico, cui improbitatis fœtor, velut spurcissimis scarabæis gratior fuit, quam suavis odor innocentiae Christi. Ille ergo hircus figuratus, hirco vero dimisso, immolatus est. Alter vero hircus verus emissarius caper factus est. At sicuti illi qui emissarum caprum in desertum deducebant, immundi reddebantur; donec se lavarent aqua lustrationis: ita Judæi, petentes Barabbam sibi dimitti, immundi facti sunt; nec unquam mundari poterunt; donec lustrali aqua baptismi laventur in Ecclesia nova per Christi mortem fundata.

§. 188. Tolle hunc. v. 18.

Quid clamabant, vociferantes turbæ? quod ipsi volebant: non quod Pilatus optabat. Quasi dicerent: non possumus eum amplius videre, frustra nos vexas & te, fac voluntatem nostram, ut jam cæpisti, perge, istum nec audire amplius volumus & minus pati possumus, ut vivat.

O Pilate, vides quid feceris? vides, quod justitiam non possis simul tenere, & hominibus placere! sed perge jam miser ingressus viam malam; non potes jam non errare, nisi relegas totum iter quod in ea confecisti. Redi ad primum verbum tuum: nullam culpam in venio. & adde, ne quidem emendare in aliquo possum.

§. 189. Et dimitte nobis Barabbam. v. 18.

Vides Pilate jam, quod verum sit vetus dictum proni sunt sensus hominum in malum; tanta pronitate, ut si ex una parte stent vitia cum patibulis, ex altera, virtutes cum coronis, homines malint currere ad vitia, quam virtutes. Vides hoc: ita certe factum est ante oculos tuos; negare non potes. O indicibilis corruptio humani generis facta in Adam! quanta! quanta! Iesus sanctus, innocens, & verus Deus postponitur Barabbæ latroni, seditioso & homicida! obstupescite cæli; nam terra hoc quod fecit; quomodo stupebit?

Domine Iesu Christe, fili Dei vivi, qui hora diei tertia, pro salute humana à Iudæis reprobari voluisti, petentibus eis Barabbam latronem dimitti; te vero vitæ authorem Crucifigi: da mihi te creatorem meum præ omnibus semper eligere; & pro nulla te creata te unquam reprobare. Amen.

R. 2

§. 190.